

Programma Ad Cives Academicos De Bacchanaliorum Luxu fugiundo. & feria ad Deum Conversione


Rostochi[j]: Pedanus, 1627


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742266710>

Druck Freier  Zugang



1627 4. Februar





PROGRAMMA
Ad Cives Academicos
DE
BACCCHA-
NALIORUM LUXU
fugiendo, & seriâ ad Deum
Conversione.



ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XXVII.

RECTOR Academiae Rostochiensis,
JOANNES ASSVERUS, Amplin-
gus Transfulanus Med. D. ac Professor.

Fuit olim quoddam genus Digladiatorum qui An-
dabatae dicebantur: quod clausis oculis, atq; ita in tenebris
pugnarent. His comparantur Disputatores qui sine certo
Controversiae statu disputant, & ipsum Quaestionis revo-
cari non ignorant. Talis erat Helvidius de quo D. Hieronymus. Ad pro-
bandum, inquit, congerit de Scripturis exempla quam plurima:
more Andabatarum in tenebris gladium ventilans. Tales & mihi non
ita pridem, nescio quo fato, obtigerunt Adversarij. Cum in Intimatione
quadam mea, pro consolatione parentum, dixissem Fidelium Infantes
etiam in utero sanctos seu sanctificatos esse, ideoque salvari si moriantur
ante Baptismum: Ibi inventus fuit quidam Sycophanta, qui edito libello
famoso duo mihi crassa mendacia affricaret. 1. Quod negarem, pecca-
tum Originis in infantibus fidelium. 2. Quod tollerem de medio ipsum
Baptismum. Ego vero qui hanc calumniam & injuriam aliter ulcisci &
a cervice mea propellere nequeo, protestor coram Deo, ista mihi per men-
dacium & calumniam afflicta dogmata nunquam mihi ne in mentem,
quidem venisse. & deinde ad iudicium provoco eorum, qui doctrinam
Demonstrationis vel leviter delibarent, ut iudicent ipsi nunquid in Inti-
mationibus meis ullum medium sit invenire, quo ista duo impura dogma-
ta affricari mihi possint?

Interim ut apud bonos pios & aequos Lectores, maxime apud R. Mini-
sterium me excusum, visum est hoc jam loco, quanta potero brevitate, de
utroque puncto peccati inquam Originis & Baptismi confessionem meam
edere, ut videant nihil a me statui neque, ab Augustana Confessione, neque, a
Luthero, neque, a Philippo diversum: quod quidem ita faciam ut non in-
tegrum locum communes pertractem, sed ea tantum capita, in quibus me
Sycophanta calumniatur, attingam.

In primis fateor probare me sententiam Lutheri, Philippi & Au-
gustanae Confessionis, statuentium peccatum Originis esse non modo carenti-
am, absentiam seu privationem Justitiae & imaginis Dei originalis, sed
insuper etiam positivum quid, nempe qualitatem seu dispositionem con-
trariam, qua in locum ablatae justitiae & imaginis Dei originalis subijt.

Koca-

Vocatur à Paulo Caro, Vetus homo, peccatum inhabitans, & Lex membrorum in fidelibus & renatis. In impijs autem & incredulis, peccatum Dominans & Regnans.

In hoc peccato Scholastici tum ipse etiam Lutherus & Philippus duo quædam distinxerunt, nempe Materiale & Formale. Per Materiale intellexerunt ipsum vitium & malam dispositionem seu peccatum ipsum, per Formale autem peccati imputationem seu Reatum.

Scribit Philippus & recte quidem scribit de curatione hujus mali in hæc verba. Incipit, inquit, Spiritus S. sanare naturam: sed non subito totus morbus tollitur. Ut Samaritanus in capite decimo Lucæ faucium non subito curat, sed primum vulneribus vinum infundit, ut cruorem abluat, deinde infundit balsamum, ut mitiget dolorem, & glutinari vulnus incipiat, postea obligato vulvere, ægrum imponit jumento, & curari cum deinceps in diversorio mandat. Ita Christus nos suo corpori imponit, quia peccatorum nostrorum pœnas sustinuit, & vulneribus nostris infundens euangelium, deinde ea obligat, tegit & remittit peccata nostra. Sed morbos tamen adhuc in Ecclesia vult curari assidujs exercitijs crucis & Invocationis. &c.

Idem alibi: Cum dicitur in Baptismo & ALIAS remitti peccatum Originis, id ita enarratur: Remitti Formale, id est, Reatum, sed manere Materiale, id est, ipsum morbum. Nam Materiale peccati est in homine ipsa inclinatio contra legem Dei. Hoc malum EX PARTE MANET: sed Formale est Reatus, id est, ordinatum esse ad damnationem seu ad æternas pœnas. Hic Reatus tollitur, cum recipitur persona, & peccatum non imputatur.

De Luthero scribit Apologeticus Augustanae Confessionis mibi p. 27. a. Er (D. Luther) hat alzeit klar also geschrieben / das die D. Tauffe die ganze schuld vnd erbschuld der Erbsünde weg nimpt vnd aufstillet: Wie wol das Material (wie sie es nennen) der Sünde/nemblich die böste neigung vnd lust bleibt. pro quo rectius Philippus. Ex parte manet. Nam in Baptismo non modo peccati Originis reatus dimittitur, sed ipsum etiã

ejus Materiale ex parte atteritur, imminuitur & dicente Paulo crucifi-
gitur & enervatur, Rom. 6, 6. Turpe enim foret Christianos semper mane-
re Joannes in eodem, quin ferri debent indies ad perfectionem, Heb. 6, 1.
Et qui sanctus est, debet sanctificari adhuc Apoc. 22, 11. Parturimus ceu
filioli, etiam atq; etiam, iterum atq; iterum, usq; & usq; donec Christus
formetur in nobis, Gal. 4, 19.

His ita positis: nunc sane videantur Accusationes mei Sycophante.
Ait me in Infantibus fidelium negare peccatum Originis. Obsecro quo id
medio probat? Quia, inquit, eos voco sanctos. Sit ergo hic Adversarij
mei Syllogismus.

Quicumq; sunt sancti: ij carent peccato originis. Infantes fidelium
sunt sancti. Ergo infantes fidelium carent peccato originis. Resp. Major
digna est ferulâ scholasticâ. Ipse meus Sycophanta est sanctus: Ergone
caret peccato Originis? Paulus erat Sanctus: Ergone carebat peccato
Originis? Si hoc putat Calumniator: non credo eum caput septimum
Epistola ad Romanos unquam legisse integrum. Paulus habebat Spiritum
Dei, 1. Cor. 7, 40. Et in Paulo habitabat peccatum, Rom. 7, 20. Hec
conciliet Calumniator, si in Sanctis non est peccatum Originis? Omni-
bus sanctis mors ultimum peccati stipendium exsolvendum restat: Ergo om-
nes sancti quamdiu vivunt in hac mortali carne, peccata Originis ob-
noxij sunt.

Alterum Accusationis caput, Me tollere Baptismum. Quo verò me-
dio probat hanc accusationem? Quia, inquit, Quibuscunq; morituris
ante Baptismum reatus peccati Originis remittitur, ipsiq; sanctificantur
& salvantur: ij etiam supervicturis nihil opus est Baptismo.

Atq; infantibus fidelium morituris ante Baptismum reatus pecca-
ti originis remittitur, ipsiq; sanctificantur & salvantur.

Ergo infantibus fidelium etiam supervicturis nihil opus est Baptismo.
Nego Majorem. Nam, dicente Philippo, non subito totus morbus tol-
litur: ut Samaritanus non subito saucium curat. & in Ecclesia cu-
ratur assiduis exercitijs, tum in Baptismo, tum ALIAS. Posset Ca-
lumniator eadem ratione atq; eadem opera dicere me tollere ipsam etiã
Cenam Dominicam, & omnem de penitentiâ doctrinam, deq; potestate
clavium in Ecclesia, omniaq; Invocationis, pro impetranda peccatorum
remissione & sanctificatione, exercitia. Latro si super vixisset, non fue-
rat contempturus Baptismum, qui morte preventus baptizari non potuit.
Idem dico de martyre apud Basilium, qui antequam baptizari posset,

cum socijs ad supplicium abripiebatur, & non baptizatus martyrio coronabatur.

Similis farina est argumentum à sine Baptismi Initiationis. Infantes fidelium per Baptismum recipiuntur in civitatem Dei nempe Ecclesiam. Ergo ante Baptismum, non erant in civitate Dei, neq; habebant jus in re civitatis. Nego consequentiam. Nam permagna est differentia inter natos cives & Adventitios, Act. 22, 28. Nati cives inde ab utero materno, habent jus in rebus civitatis, fruunturq; eo jure in rebus ad vitam necessarijs, defenduntur intra mœnia ab externis incursionibus & injurijs, habet victum & amictum aliq; vitæ necessaria quæ ipsis lucrantur & suppeditant parentes mercando, negotiando aliudve quid operis agendo, freti privilegjs civitatis, tantisper dum ipsi ad maturam ætatem gerende rei familiari aptam & idoneam pervenerint. quo quidem tempore solenniter actu publico, addito etiam juramenti symbolo, in matriculam civium inseruntur & recipiuntur. & jus civitatis iterato ipsis renovatur datur & confirmatur. Ita infantibus fidelium vigore fœderis etiam ante Baptismum sanctis, in Baptismo peccatorum remissio & sanctificatio repetitur & de novo datur & confirmatur ipsis, actu solenni & publico, accedente externo symbolo, in Ecclesia matriculam recipiuntur. Isti Actus subordinati non sese tollunt mutuo, sed sese mutuo stabiliunt.

Homo actu primo oritur ex elementis, idem oritur ex semine parentum actu secundo. Secundus non tollit primum sed confirmat. Sponsa inde à tempore Sponsaliorum quodammodo & secundum quid, est in potestate & in jure sponsi. At tempore nuptiarum à τὸ πῶς & absolute transit & recipitur in familiam sponsi. Ille Actus nuptiarum maxime solennis non tollit Actum antenuptialem Sponsaliorum, sed eum confirmat & ratum habet, etiam dato annulo obsignatorio.

Agè, numeret & enarret mihi Calumniator meus Actus Sanctificationis, in Apostolia alijsq; discipulis Christi. Judæi erant, ideoz, primo sancti vigore fœderis, circumcisionis signo obsignati. secundo sanctificabantur in Baptismo. tertio sanctificabantur & donabantur nova Spiritus & gratia cum brini & vini emitterentur ad predicandū euangelium & ad miracula faciendā ipsaq; adeo demonia ejciendā. quarto cum in die Pentecostes Spiritū S. acciperent Act. 2. in plenissima mensura, qui eos omnem veritatem doceret. Quinto Act. 4. Petrus & Joannes, qui Spiritum S. in die Pentecostes acceperant, iterum unā cura alijs fidelibus repleti sunt Spiritu Sancto. Utiq; illorum Actuum posteriores non sustulerunt

¶ sunt priores, sed potius renovarunt & confirmarunt. Nec priores impediverunt posteriores, sed potius ijs veluti viam straverunt. Sicut videmus evenire in successu formarum in eadem materia sibi succedentium.

Plures sunt Actus remittendi peccata. In sacra Domini cena dignè communicantibus remittuntur peccata, Matth. 26, 28. hic est sanguis novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

Paulus acerrimus disciplina Ecclesiastica assertor, quanto fuit in arguendo severior, tanto fuit in remittendo clementior & lenior. Epistolis ad Titum, & priore ad Timotheum, postquam descripsisset quales viros esse oporteat Episcopum Presbyterum & Diaconum, nempe irreprehensibilem, sobrium, non vinosum, non turpiter lucri cupidum, alienum ab avaritia, qui liberos contineat in subiectione cum omni honestate, tandem cap. 5, 20. prioris ad Timotheum, inquit, eos qui peccant, coram omnibus argue: ut & reliqui timeant. Quanta severitate usus sit adversus Mechum Corinthiacum, videre est 1. Corinth. 5. quanta lenitate eum receperit, patet 2. Cor. 2. Sufficit, inquit, illi ista objurgatio à pluribus profecta, Vos ei condonate, eumq; consolamini, ne quo modo redundante tristitia, absorbeat vir hujusmodi, &c.

Peccatum in nobis habitans, quod Materiale peccati Originis vocant Scholastici & Ancestores nostri Lutherus & Philippus ipsaq; adeo Confessio Augustana, est veluti ignivomus Aetna aut mons Hecla quidã, assidue flammam eructans peccatorum actualium. Hic assidue nobis opus est illo Christi Dimitte nobis debita nostra. Et illo Davidico, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et iterum, Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealabor. Concludo tandem hunc locum, quo demonstravi sepius nobis opus esse itentidem repetita peccatorum remissione & sanctificatione. ad repurgandum sub inde peccatorum nostrorum veluti quoddam impurum Augiæ stabulum.

Cæterum exempla quibus in Intimationibus meis probaveram etiam ante Baptismum nonnullis remitti peccatum Originis, ipso Sole meridiano clariora sunt. Et quidem primò de Sanctitate Infantum fidelium, per hanc intelligendam esse sanctitatem salvificam aeterni Dei fœderis, patet ex statu Controversiæ Paulinæ, 1. Cor. 7. Negat Paulus conjugem infidelis à fidele deferendum esse. Medius terminus est, quia infantes qui ex tali conjugio nascuntur, vigore Divini fœderis sancti sint. Unde talis exurgit syllogismus Paulinus. Nullum matrimonium, ex quo vigore aeterni

Dei fœderis infantes sunt Sancti: deserendum est. Atqui ex omni matrimonio conjugum unius fidelis & alterius infidelis, vigore aeterni Dei fœderis Infantes sunt Sancti. Ergo nullum matrimonium conjugum unius fidelis & alterius infidelis deserendum est.

Deinde accedit & hæc ratio. Quia nisi locum illum de Sanctitate salvifica interpretemur: nullum relinquitur medium infantes fidelium salvandi ante Baptismum. Impossibile est enim quæquam salvari extra Dei fœdus, extra Ecclesiam, sine gratia, sine Christo, sine Spiritu Sancto, sine remissione peccatorum, sine sanctificatione.

Addam & auctoritatem doctissimi Hunnij, scribentis Infantes infidelium appellari immundos non ratione corruptionis originalis: sed quia desicit illos hæc promissio ad solam spectans Ecclesiam, Ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te. Ergo ex opposito, infantes fidelium sunt sancti, quia fruuntur hæc promissione.

Exemplum Jeremie & ipsum per se clarum est. Antequam prodixisset ex vulva sanctificavi te Jer. i. Et quæquam Adversarij hunc locum interpretentur de sanctificatione ad munus Prophecticum, tamen hoc eos nihil relevat, nam sanctificatio ad munus propheticum præsupponit sanctificationem salvificam aeterni Dei fœderis. Et nunquam ad infantem profanum dictum fuit Sanctificavi te in utero. Nec potest sanctificatio ad ministerium esse sine sanctificatione salvifica, quæ prioritatem ordinis sibi vindicat.

Exemplum Joannis Baptista, Luca i. v. 8. & seqq. ad vers. 36, & deinde à vers. 39. usq. ad versum 46. tantis fulget Spiritus Sancti indicijs, ut sanctificatio salvifica aeterni Dei fœderis in eo negari nequeat citra crimen impietatis.

Addam argumentum ab ipsa Adversariorum confessione: quæ sit medijs tenentur, ut vel hiscere nequeant. Quicumq. infantes mortui ante Baptismum salvantur: ijs remissus est reatus peccati Originis. Atqui infantes fidelium mortui ante Baptismum, salvantur. Ergo infantibus fidelium mortuis ante Baptismum remissus est reatus peccati Originis. Major radiat sua luce. Minorem concedunt Adversarij. Stat ergo Conclusio.

Infantibus fidelium adjungo Martyres, qui antequam baptizari potuerint, ad supplicia rapti fuerunt & martyrio coronati. Cujus rei exemplum datur in Oratione Basilij in 40. Martyres. Datur ergo remissio peccatorum in nonnullis ante Baptismum.

Deniq. Latro in cruce remissionem peccatorum tuum originis, tum

actua

actualium obtinuit, etiam non baptizatus. Et ad non baptizatos dicebat Christus, Confide, remittuntur tibi peccata tua, Matt. 9, 2. 22.

Coronidinis vice obsecro qualia sunt illa nudiusterrina? Circumcisio erat signaculum iustitiæ fidei in adulto Abrahamo, Rom. 4, 11. Non in infante Isaaco. Ergone Isaac infans iustus fuit aliã iustitiã, quam Abrahamus adultus?

Tum & illud infantes fidelium ante Baptismum sunt filij iræ, ob peccatum Originis. Quanto rectius Hunnius noster, qui hoc ad infideles refert, propter carentiam divini fœderis. Et Paulus Ephes. 2. non dicit in presenti Estis, sed in præterito Eratis natura filij iræ, nec de Ephesijs loquitur jam conversis, sed de nondum conversis, quo quidem tempore erant vel fuerant absq; Christo, alieni à republ. Israelis & extranei à pactis promissionis, spem non habentes & Dei expertes in mundo. Quam ineptè ista torqueantur adversus fidelium infantes divini fœderis consortes, videt quilibet. Et docent Logici in omni prædicatione concreta, subjectum appellandum esse à formali. Quis ergo fidelem appelles filium iræ? Rom. 8, 33.

Similis farine est Infantes fidelium idè appellari sanctos, quia aditus illis pateat ad Baptismum: Sint ergo & Turca sancti, quibus & ipsis ad Baptismum patet aditus. At qui in quibus fidelium infantibus patet aditus ad Baptismum immediatus. Id verò negatur. Media enim sunt remissio peccatorum & sanctificatio, quæ ipsis in Baptismo obsignantur, renovantur, repetuntur & de novo dantur.

Ajunt de infantibus fidelium, si moriantur ante Baptismum, quod de eorum salute dubitari non debeat. Hòc equidem ego accepto, & infero, Ergo etiam illis si moriantur ante Baptismum peccata remittuntur, Ergo etiam ante Baptismum sancti sunt sanctitate salvifica. Non enim Christi esse potest qui non habet spiritum Christi, Rom. 8, 9.

Nec ferendum puto illud axioma. Deus nobis præscripsit salutis mediã non sibi. Deus enim mentiri nescius, non salvat quenquam per alia mediã, quam quæ patefecit in verbo suo. Videtur mihi axioma hoc esse de numero novitatum quas prohibent Apostoli, 1. Tim. 6, 20. & 1. Pet. 4, 10.

Sed neq; illud probo Infantes fidelium statim à collato Baptismo, habere actualem fidem, quæ quidem de re dixi alio loco.

Illud etiam non videtur prætereundum quod frequenter in ore habent, Fiunt non nascuntur Christiani. Respondeo breviter. Vox Christianus

Christianus est vox concreta cujus materiale est homo: formale autem ipsa
Christianitas. Secundum materiale Christianus nascitur secundum for-
male non nascitur, sed fit renascendo. Interim tamen communis loquen-
di consuetudo non est de medio tollenda, Ein geborner Christ/ ein gebor-
ner Türck/ ein geborner Edelman/ Bürger/ Pauver/ etc.

Et hec quidem hactenus non laudandi cujusquam (de quo protestor)
sed calumnia depellenda ergo. Nunc transibo ad rem presentem aliquid
etiam de Bacchanalibus dicturus.

Judæi, inquit Paulus I. Cor. I. figum petunt, & Græci sapientiam
quærent. Nos autem prædicamus Christum crucifixum Judæis
quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. *Mysterium humana
redemptionis Græcis stultitia est. Ego uero miror Græcis hominibus tam
sapientibus tantam fuisse stultitiam, ut tantum Deorum numerum co-
cervare potuerint, Scribit & testatur Tertullianus à M. Varrone trecentos
Joves fuisse numeratos. Quid ergo de aliorum infinitorum Deo-
rum promiscua turba dicemus? Deus Deorum illis fuit Jupiter, at hujus
Dei impuras scortationes, adulteria aliâq; flagitia quis tandem enarret?
Ferunt hunc fuisse Opis & Saturni filium, in Creta insula eodem cum
Junone partu editum, & in Ida monte à Curetibus educatum, idq; clama-
re patre Saturno, quod ille filios suos omnes devoraret. Cum autem in vi-
rum adolevisset cognovissetq; etiam tunc patrem vite sue insidiari: regno
eum pepulit mundiq; imperium cum fratribus Neptuno & Plutone
sorte divisi: ac Jovi quidem cæli & terra, Neptuno maris, Plutoni in-
ferorum imperium obtigit. Jupiter deinde Junonem sororem suam in-
cestuoso connubio uxorem duxit. quæ ei Vulcanum peperit. Jovis ne-
quitas plurimas Poeta describunt, inter quas est, quod Semelem Cadmi
Thebarum regis filiam pellicem habuerit, cui se daturum quicquid pe-
tisset per Stygiam paludem juraverat. Ex hac Bacchum genuit, sed ri-
diculo parturienti genere. Semele enim jam gravida, astu & dolo Ju-
nonis, fulmine exusta fuit. Tum Jupiter puerum utero materno exem-
ptum, semore cum suo velut altero quodam utero excepit, & ad justum
parturienti tempus gestavit, quo eum instar præperæ e semore, ceu ex u-
tero, enixus est. Unde Græcis διπάρτοσ dictus fuit, quod duas matres ha-
buerit. Bimater & bis genitus. Primum Dionysius fuit appellatus, de-
inde Liber pater, mox Osiris & Bromius & Lernæus. Hunc Jovis Spu-
rium & pellice natum pro Deo coluerunt, sinxeruntq; Deum & in ven-
torem vini & perpetuam Juventam ei affinxerunt. Juniq; varia templa
huic Deo dicata an Diabolo erecta.*

B

Sicut

Sicut autem iste ridiculus & sceleratus Deus varia consecutus est nomina: ita ejus festa seu festiuitates varijs nominibus appellauerunt. Diodorus vult Bacchum dictum fuisse à Bacchis mulieribus, quæ illum Βαχέβογτες, hoc est, insanientes & immodeste se gerentes in Indiam sint secuta. Eustachius verò Bacchum vult appellatum dicitur τὸ Βαχέσβοσ hoc est, à vociferando & ululando adjecta litera x, quò vastior ille Manadum sonus in ipso Dei nomine redderetur. Et Bacchæ fuerunt Bacchi sacrificula, quæ & Manades, & Bassarides & Thyades. Hæ noctu Baccho sacrificabant, alternis annis in Parnasso monte Boeotia. Aliæ ejusdem farinae & nominis mulieres Bacchæ tertio quoquo anno ad Citharonem montem cateruatim cum Thyrsis conveniebant, & ibi Bacchi Orgia magno cum ululatu celebrabant. Unde Ovid. 9. Metamorph.

Utq; tuo motæ proles Semeleia Thyrso,

Ismaricæ celebrant repetita triennia Bacchæ.

Vocata autem fuerunt Bacchi festa, Bacchanalia, Orgia, Trieterica, Nyctileia, Liberalia, Dionysia & Cotytia, à Cotyde rege Thracum, qui sacra Baccho instituit.

Bacchanalia quæ & Dionysia Bacchi festa fuerunt, in quibus viri per noctem feminis & tenera ætati turpiter admiscebantur per dolum. Hæc à multis Græciæ urbibus triennio quoquo celebrantur.

Orgia: Liberi patris sacra fuerunt dicta τὸ τῆς ὀργῆς, hoc est, à furore, quod à mulieribus furore correptis peragerentur.

Trieterica, idem est ac si dicas triennialia.

Nyctileia, quod nocturno tempore celebrarentur. Liberalia à Libero & Dionysia à Dionysio, quæ dixi Bacchi nomina fuisse.

Græci Dionysum colebant cognomento Lamptera, id est, faculam, ejusq; festa vocabant Lampteria. ferebant enim noctu faces ad templum: Vini pateris tota urbe constitutis.

Theœnia apud Athenienses in Bacchi honorem faciebant. Thylia festum erat Bacchi apud Elæos: in quo vacua hydris, templo obserato, vino implebantur noctu. Plura qui volet de Bacchi aliorumq; Gentilium Deorum festis seu festiuitatibus; Ravisum consulat.

Hæc non dicam sacra sed sacrilegia, hæ non festiuitates sed impietates & abominations perpetratae fuerunt à Gentibus, de quibus perhibet Apostolus quod fuerint illo tempore PROCULI, absq; Christo, alieni à repub. Israëlis, & extranei à pactis promissionis, spem non habentes, Dei expertes in mundo, Ephes. 2. In quibus Deus hujus se-

culi.

culi excocaverat mentes, 2. Cor. 4. Unde quilibet Christianus estimare facile potest, quam oporteat has impietates Gentiles à nobis Christianum nomen pro-
fessis esse procul. Prisca cerè Ecclesia inde à temporibus Apostolorum videtur non
alio consilio hoc tempore Jejunium Quadragesimale indixisse, quam ut homi-
nes à Bacchanaliorum luxu, ad temperantiam & sobrietatem Christianam a-
vacaret, & ad veram pœnitentiam meditationemq; mortis Dominice cohorta-
retur. Quid enim turpius esse possit, quam hominem Christianum, quem Chri-
stus exemit à presenti seculo malo, Gal. 1, 4. adhuc conformari seu confi-
gurari huic seculo à Rom. 12, 2. Non enim potest fieri ut aliquis Dei & Mundi
pariter sit amicus, sed dicens Apostolo, Quicumq; voluerit amicus esse mun-
di, hunc oportet Dei fieri seu constitui inimicum. Jac. 4, 4. Ne impari
jugo, inquit Gentium Doctor, cupulemini cum infidelibus. Quod enim
consortium justitiæ cum injustitia, & quæ communitio luci cum tenebris?
Et quæ concordia Christo cum Baccho aut Belial, aut quæ pars fidei cum
infideli? Et quæ consensio templi Dei, cum dolijs & simulachris Bacchi?
Nam vos templum estis Dei viventis, sicut dixit Deus, Habitabo in eis &
ambulabo, Et ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter
exite e medio eorum, & SEPARAMINI, dicit Dominus, & impurum ne
attingite: tum ego excipiam vos, & ero vobis pater, & vos eritis mihi filij,
dicit Dominus omnipotens, 2. Cor. 6. v. 14. & seq.


Memini me in proximo Rectoratu meo, circa hoc tempus de voluntate R.
Concilij graviter interdixisse, & Interdictum promulgasse quod adhuc in mul-
torum manibus versatur, de non habendis CONVIVIIS NATIONALIBUS.
quæ prædecessores nostri judicant exitialem reipub. nostræ literariæ pestem
esse, sed surdis fabulam cecini & camino ignem addidisse videor, cum video hîc
nunc patricinium dari etiã sub illorum cœlis, quorum erat ejusmodi a. & c. co-
dictis & factis etiã cum objectu laterum suorum prohibere. Quorum quidem
Convivorum enormitas tum demum patescit, si ad amussim secundum omnes
circumstantias suas describantur & pecuniarum aucupia considerentur, quibus
sumptus ad ejusmodi convivia faciendâ, conquiruntur, & à studiosis emungun-
tur. Cogitabunt Magistratus deinceps de remedio pestiferam exitiali mature ad-
bibendo, antequam in gangrenam abeat prorsus incurabilem. Non ita Aposto-
lus, quando Corinthijs suis mandat, ne ullam, ulla in re, præbeant offensio-
nem: ne vituperetur, inquit, Ministerium. 2. Cor. 9, 3. & seq. Et alibi spe-
culamini scandalorum authores: nam qui ejusmodi sunt Domino nostro
Jesu Christo non serviunt sed suo ventri, & c. Rom. 16. v. 17. 18. Et iterum ali-
bi. Vos testes estis & Deus quomodo sanctè & juste & inculpate vixerimus.


ut

ut nosmetipsos pro exemplari exhiberemus vobis, ad nos imitandum, 1. Thes. 2, 10. & 2. Thes. 3, 8. Satius erat Paulinam ostentare penulam 2. Tim. 4, 13. quam in eiusmodi convivij super bire de auratis poculis.

Nunc ad vos Studiosi Juvenes orationem meam converto, qui pietatis & sanctimonia studium pariter cum studio literarum conjunxistis. Solent generosi animi facilius flecti precibus & obsecrationibus. quam duris increpationibus. Obsecrat Apostolus, Rom. 12, 1. per miserationes Dei, ut sistamus corpora nostra hostiam vivam sanctam & acceptam Deo, & ne configuremur seculo isti, sed transformemur per renovationem mentis nostrae. Et, 1. Thes. 4, 1. Rogamus, inquit, & obsecramus vos in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ampulare, & placere Deo: magis excellatis: Nam hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestra, &c. Et Petrus 1. Pet. 2, 11. Obsecro vos ut tanquam advenæ ac peregrini obstineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam, & conversationem vestram habeatis honestam inter Gentes. Demus locum hisce obsecrationibus Apostolicis. Cogitemus nos baptizatos esse in mortem Christi crucifixi, & veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati, ne post hac nos serviamus peccato, nisi (quod absit) reprobri simus, & frustra crediderim, 2. Cor. 13, 5. & 1. Cor. 15, 2. Meminerimus nos pretio emptos esse, nec esse nostri juris, 1. Cor. 6, 19. 20. Servi sumus: serviamus igitur. Cui? Videte, Rom. 6. versibus 6. 16. 17. 18. 19. qui quidem locus vestri vos admonet officij. Lasciviente itaq; mundo, hisce diebus, temperantiam colamus, & ad meditationem Passionis Dominice accingamur, absint larvæ & discursiones per compita civitatis, absint compotationes, omnisq; luxus, clamores Cyclopici & Stentorij, & gestus moresq; omnes qui ordinem nostrum dedecorant. Tempora sunt difficilia & luctuosa & videntur graviora indies imminere cervicibus nostris, magna ubiq; sunt gentium & populorum pressura. Hoc agamus serio, ne peccando iram Dei magis exasperemus, ultricemq; ejus manum in nos provocemus, sed ardentibus precibus culpam deprecemur, perq; seriam penitentiam sinceramq; conversionem cum Deo nostro in gratiam redeamus, ipso nos invitante, Jer. 3, 12. Revertere ad me ô aversatrix anima, dicit Dominus, & non avertam faciem meam à vobis: quia misericors ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. P. P. 4. Februarij Anno 1627.







culi excocaverat mentes, 2. Cor. 4. Unde quilibet potest, quam oporteat has impietates Gentiles a se esse procul. Prisca certe Ecclesia inde a tempore alio consilio hoc tempore Jejunium Quadragesimales a Bacchanaliorum luxu, ad temperantiam vacaret, & ad veram penitentiam meditationem retur. Quid enim turpius esse possit, quam hominibus exemit a presenti seculo malo, Gal. 1, 4. a gurgari huic seculo Rom. 12, 2. Non enim potest pariter sit amicus, sed dicitur Apostolo, Quicumque di, hunc oportet Dei fieri seu constitui inimicijugo, inquit Genium Doctor, cupulemini cum consortium iustitiae cum iniustitia, & quae con Et quae concordia Christo cum Baccho aut Be infideli? Et quae consensio templi Dei, cum d Nam vos templum estis Dei viventis, sicut dixi ambulabo, Et ero illorum Deus, & ipsi erunt exite e medio eorum, & SEPARAMINI, dicit attingite: tum ego excipiam vos, & ero vobis dicit Dominus omnipotens, 2 Cor. 6. v. 14. Et

Memini me in proximo Rectoratu meo, circa Concilij graviter interdixisse, & Interdictum pro torum manibus versatur, de non habendis CON qua praedecessores nostri judicarunt exitialem re esse, sed surdis fabulam cecini & camino ignem ad nunc patricinium dari etiam sub illorum rebus, quae dictis & factis etiam cum objectu laterum suorum Conviviorum enormitas tum demum patescit, si circumstantias suas describantur & pecuniarum a sumptus ad ejusmodi convivium faciendum, conquiruntur. Cogitabunt Magistratus dumceps de remedio bibendo, antequam in gangrenam abeat prorsus illud, quando Corinthijs suis mandat, ne ullam, ul nem: ne vituperetur, inquit, Ministerium. 2. eulganini scandalorum auctores: nam qui eju Jesu Christo non serviunt sed suo ventri, &c. li. Vos testes estis & Deus quomodo sancte &

asfirmare facile
um nomen pro
um videtur non
vam ut homi
Christianam a
inica coborta
o, quem Chir
ari sent confi
Dei & Mundi
cus esse mun
Ne impari
Qvod enim
um tenebris?
rs fidelis cum
chris Bacchi?
tabo in eis &
Qvapropter
impurum ne
tis mihi filij,

voluntate R.
ad huc in mul
TIONALIBUS.
raria pestem
cum video his
modi & c. & c.
orum quidem
undum omnes
rentur, quibus
osis emungun
ali mature ad
lou ita Aposto
ant offensio
Et alibi spe
omino nostro
Et iterum ali
te vixerimus.

